



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Cvstos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

quis ruat in peccatum propter hoc nec quod actus ille quantum ad deformitatem placeat sibi, sed ex nouitate rei cupit videre, ut quando aliquis irruit super aliquem, ut interficiat illū, talis curiositas non est mortalis, nisi quando esset prohibitum talia videre, quia non vult hoc malum fieri, ut videat, sed dum sit, vult quis videre, tantum ex curiositate. Concord. Art. Flor. 2. par. rit. 3. c. 7. §. 11. Secus quando ex tali inspectione daretur animus malefactori, vel quasi approbaretur, factū, vel graue malū immineret corporis, vel animæ. Et Thom. secunda secunda. q. 167. ar. 2. ad 2. consentit. Curiositas non videtur addere peccato differentiam talē, quæ sit necessaria ad confitendum, sed sufficit peccatum mortale exprimere.

CVSTOS.

CVS T O S in triplici differentia inuenitur, quidā sine mercede, sed gratis custodit, quidam accipit mercedem, sed non specialiter pro custodia, quidam accipit mercedem specialiter pro custodia rei. Primus tenetur de dolo, & lata culpa tantum, quia gratia alterius custodit. Secundus tenetur de dolo, lata culpa, & leui. Tertius tenebitur etiam de leuissima: secundum gloss. in lib. qui mercedem. ff. loca. Aduerte, quod quando sumus in contractu, in quo quis tenetur solum de dolo, & lata culpa, ut in deposito, acceptio mercedis pro custodia facit ut teneatur de leui, & sic intelligitur capitulo, bona fides. de deposito. Si verò sumus in contractu, in quo tenetur de leui culpa, sicut in locato, quando res non requirit diligentissimam curam, sic acceptio mercedis pro custodia facit ut teneatur pro leuissima, & sic intelligitur. d. l. qui mercedem. & tenetur etiam de culpa eorū, quorum opera vitur, si ipse diligentiam non adhibuit. l. si merces. §. qui columnam ff. locati.

QU I locat operas suas in re, quæ curam diligentissimam requirit, ut in gemma polienda, vel veste pretiosa in-

cidenda, & huiusmodi tenetur etiam de leuissima. in d. §. qui columna. alias de leui tantum, ut in d. gl.

CVS T O S negante, suo dolo, vel negligentia amisisse rem, in foro iudiciali, & contentioso, ipse custos probabit, secundum gloss. in d. l. qui mercedem. secus in conscientia. Idem die de custode carceris, & in deposito ff. de cust. & exhib. re. l. ult. In alijs autem casibus regulariter, qui dolo allegat, probare debet, in libr. quoricens, ff. de probati.

SI quis conducit equum, & patronus equi mittit famulum pro custodia illius, & constat hoc fecisse à principio, conductor non tenebitur pro custodia. Si autem locauit equum, & famulum, negligentia famuli non excusat dolum conductoris, antequam restituat equum famulo: secundum gl. §. si de me. l. si ut verò. ff. commo. Si autem post restitutionem equi, famulo equus pereat, non tenebitur conductor, in l. si mei causa. ff. commo. De hoc infra Locario. §. 2. Deposito. §. 2. Violentia per testes probari debet, secundum Panor. in ca. super eo. de his, quæ vi me. res verò amissæ, & earum valor iuramento.

DAMNVM.

DA M N V M est ex hoc, quod aliquis minus habet quam debeat habere: secundum Thom. secunda secunda. q. 62. a. 4. & dare damnum, vel occasionē damni, & periculi, est semper peccatū, vel mortale, vel veniale, secundum voluntatem dantis, vel quantitatē damni. Qui enim parum damnicat, volens tamen damificare multum si posset, mortaliter peccat, & qui multū damnicat, mortaliter peccat, quia proximum multū offendit, quod est contra charitatem, & iusticiam & tenetur ad restitutionem, ut infra, Restitutio. §. 21.

OM N E S qui sunt causa damni continentur in his versibus: iussio consilium, consensus, palpo, recursus, participans, mutus, non obstant, non mansetans, de quibus dicitur infra, quomodo